

2.

Instructio Sacrae Cong. Episcoporum et Regularium
de verbi Dei Praedicatione.

Sanctissimus Pater, Leo Papa XIII, cui apostolicum sacrae Praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote christiano populo, his praesertim temporibus, recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annunciandis e suggestu Fidei mysteriis multa peccari, complures scilicet, aliquot abhinc annis, eosque gravissimos, irrepsisse abusus in modum, quibus saepenumero sacra hodie praedicatione spretu digna, aut saltem sterilis ac prorsus inutilis efficiatur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens, hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos Praesulesque Religiosorum Ordinum sese convertere eorumque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut quoad per ipsos fieri potest, huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removendum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec Sacra Congregatio Reverendissimis Episcopis et Regularium, Ordinum, Coetuumque ecclesiasticorum Praesulibus hasce regulas omni diligentia studioque observandas exhibet.

1. Primum quidem quod ad sacri oratoris personam attinet caveant huiusmodi adeo sanctum ministerium ulli concedere qui nec sincera christiana pietate praeditus nec fervido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit; sine quo aliud profecto non esset Orator, nisi *aut aes sonans, aut cymbalum tinniens* (I. Cor. XIII, 1.) nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui

solus et ratio impellens, et finis ultimus evangelicae praedicationis sit oportet.

Haec vero Christiana pietas, sacris verbi Dei Praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet; nec quidquam iidem praesefere vulgare aut mundanum; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I. Cor. IV, 1): *secus enim, ut Sanctus Thomas Aquinas animadvertit, si doctrina est bona, et Praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei.* (Comment. in Matth. V).

Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est; cum apprime competentum sit, atque assidua experientia comprobatum, Praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praesertim vero sacris, instructi non sint, frustra expectari; eosque cuidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, quin hilum (aut parum admodum) se praeparent, pulpitem ascendere.

Hi nimirum non aliud faciunt, quam aërem verberant, divinoque verbo contemptum irrisionemque, quin id fortasse advertant misere conquirunt: quibus idcirco iure merito congruit minax illud divinum effatum: *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* (Os. IV, 6).

2. Postquam igitur sacerdos (non vero ante) quas recensuimus dotes sibi comparaverit, tum solum Rm̄i Episcopi et Regularium Ordinum Praesules magnum divini verbi praedicandi ministerium eidem concedere poterunt: sed tamen continenter invigilantes, ut iis dicendis rebus inhaereat Orator, quae sacrae praedicationi proprie conveniunt. Hae quidem res (quae materia sunt propria sacrae praedicationis) his divini Redemptoris verbis continentur: *Praedicate Evangelium... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* (Matth. XXXIII, 20). Quae verba enarrans Angelicus

Doctor scribit : « Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare; et modo comminando, modo exhortando, hominibus salutaria praedicare » (loco supra citato). Et S. Tridentinum Concilium : « Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. » (Sess. V, cap. 2, de Ref.) Sed multo amplius a summo Pontifice Pio IX, id declaratum fuit haec scribens (Litt. encycl. 9 nov. 1846) : « Non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes sanctissima Religionis nostrae dogmata et praecepta iuxta Catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuntient; peculiarium officia accurate explicent; omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo Fideles Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. » Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro conditionis cuiusque varietate, hominis novissima, aliasque id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis materiam constituere.

3. Atqui haec gravissima argumenta a multis divini verbi praeconibus indignum in modum negliguntur : qui quidem quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, ac probe noscentes hasce materias ad popularem auram, quam expetunt, sibi conciliandam magis prae aliis idoneas nequaquam esse, eas omnes praesertim in concionibus quadragesimalibus, et quibusdam aliis solemnioribus anni solemnitatibus, consulto praetereunt : unaque cum rebus earum nomina permutantes antiquis concionibus novum aliquod genus praedicationis sufficiunt, quas morales collationes, falso sensu acceptas, vocant, quibus mens auditorum, vel potius phantasia, otiose permulceatur, non vero voluntas salu-

briter permoveatur pravique reformentur mores. Hi nimirum non advertunt conciones quidem morales omnibus, polemicas vero collationes plerumque paucis prodesse; atque hos ipsos paucos, si accuratius fuerint bonis moribus instructi, seu si diligentius adiuti, quo maiori castitate, animi demissione atque obedientia erga Ecclesiae auctoritatem praediti sint, id unum sufficeret ut mentem innumeris contra Fidem erroribus immunem, et ad veritatis lucem suscipiendam paratorem haberent : errores enim circa Religionem, praesertim inter catholicas populos, magis ab effrenatis animi cupiditatibus quam a quibusvis mentis aberrationibus originem ducunt; iuxta quod scriptum est: *De corde exeunt cogitationes malae blasphemiae* (Matth XV, 19) et in Psalmo XIII v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* « *In corde suo, inquit Regius Psalter (sapienter hic adnotat S. Augustinus), non vero in mente sua* ».

4. Nec vero ideo Collationum polemicarum usum damnandum existimamus, quae si recte perficiantur, et ipsae admodum utiles, imo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a Christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus, quam practicis, pertractant; de civilibus potius, quam religiosis; maioris videlicet speciei, quam fructus; quae proinde Ephemeridum palaestris, aulisque academicis apta forte erunt; at vero a loco sancto prorsus absona.

Quod vero ad illas polemicas Collationes attinet, quae Religionis ab adversariorum impugnationibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui Oratores magna debent prudentia uti : huiusmodi enim Apologiae in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari

possit: cuius rei iudices maxime omnium competentes, locorum quorumlibet Episcopos esse manifeste patet. Has vero Apologias eas decet ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur: tali demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum evitetur, ne in quorundam auditorum mentibus altius defixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, magisque percellant animos obiecta quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae: dum contra omnino constat moralem praedicationem fidelium universitati longe maxime necessariam esse, nec nobilitate a polemica vinci: ac proinde etiam valentiores et celebriores Oratores in auditorum conspectu quantum libet electissimo ac frequentissimo hanc deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat frequentes isti Auditores semper de erroribus disserere audient, qui saepenumero in iis, qui intersunt, nequaquam reperiuntur; numquam vero de culpis vitiisque, quae in hisce potius Auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent.

5. At vero si plerique in thematum tractandorum selectione abusus desentur, plerique alii et quidem haud minus graves sunt in ipsa thematum tractatione deplorandi. Circa quam haec praeclara documenta tradit idem S. Doctor Aquinas (l. c.): « Ut vere sit lux mundi, tria debet habere Praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas (seu recta intentio), ut quaerat Dei laudem, et non suam ». Sed heu! triste infortunium! Plerarumque hodie concionum forma non solum ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abest, quam illa constanter praeserferret; sed etiam obscuris ambagibus tota

obvolvitur, et in abstrusis argumentis, communem populi captum excedentibus, versatur, ut illud propheticum effatum in mentem subeat hic opportune repetendum: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis.* (Thren. IV. 4).

Quod autem peius est, ille divinus character a concionibus abest, ille christianae pietatis habitus, illa S. Spiritus unctio, per quam praeco evangelicus semper de seipso profiteri possit, et debeat: *Sermo meus et praedicationis mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis.* (I. Cor. II, 4). Hi contra persuasibilibus humanae sapientiae verbis ferme unice inixi, verbum Dei, parvi aut nihili pendunt: sacram videlicet Scripturam, quae quidem praecipuus sacrae eloquentiae fons sit oportet: quemadmodum summus Pontifex super Cathedram Petri sedens nuper gravissimis verbis, quae huc referre opportunum putamus, edocebat: (Encycl. De studio S. Scripturae, 18 nov. 1893). « Haec propria et singularis sacrarum Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae Oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert ille non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu Sancto et in plenitudine multa. (I. Thess. I. 5). Quapropter ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de Religione habent, et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant, nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis, quam divinis, innixi. Istorum scilicet orationem quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est utpote quae igne careat sermonis Dei, eademque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (Hebr. IV. 12). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, in-

esse in Sacris Litteris mire variam et uberem, magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit, diserteque arguit (De Doctr. Christ. IV. 6. 7); atque res ipsa confirmat, et praestantissimorum in Oratoribus sacris testimonium, qui nomen suum assidue SS. Bibliorum consuetudini, pieque meditationi se praecipue debere, Deo grati affirmarunt. »

6. En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, Sacra Biblia. Sed isti Evangelii praecones dicti, temporum nostrorum ideis ac moribus imbuti, neglecto per summum nefans fonte aquae *vivae*, ex humanae sapientia e *cisternis dissipatis* suam eloquentiam hauriunt; potius quam divinitus inspiratas sacrorum librorum sententias afferant, aut sanctorum Patrum, aut Conciliorum, auctores quamplurimos eosque profanos, novissimos atque etiam vivos, testes adducunt; quorum sententiae affatim ambiguas interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas saepe saepius admittunt. « Est etiam pessimus sacrae eloquentiae abusus, religiosa themata unice ob praesentis vitae rationes, quin de futura vel mentio fiat, passim pertractare: commoda recensere a Christiana Religione mundo allata, et officia dissimulare: divinum Redemptorem uti egregium *φιλόανθρωπον* pingere, et Eius, ut Iudicis aeterni, iustitiam praeterire. »

« Exiguus exinde huiusmodi praedicationis fructus: ex qua forte mundanus quisque homo persuasus exit, se, quin mores corrigat, dummodo in Christum credat probum christianum fore. » (Card. Bausa Archiep. Florent. ad iuv. cler. 1893).

Sed quid istorum hic fructus refert? Hic profecto non est id quod ipsi in primis expetunt: auditoribus blandiri exoptant, quibus *pruriunt auribus* (II. Tim. IV. 3): et dummodo templa stipata videant, eorum parvi interest animas fructu vacuas permanere. Proinde numquam de peccato disserunt, numquam de hominum novissimis, numquam denique de aliis veritatibus gravissimis, quae auditores salubriter *contristare ad poenitentiam* pos-

sent. (II. Cor. VII. 9); solummodo *placencia* loquuntur (Is. XXX. 10); atque hoc idem faciunt eloquentia quadam potius tribunitia quam apostolica; magis profana quam sacra, quae quamplures manus plaususque ipsi comparat a S. Hieronymo graviter reprobatos, cum ad Nepotianum scriberet: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrymae laudes tuae sint.* Ex quo fit, ut eorum praedicatione, ita in templo, sicut alibi, theatralem quadam aura circumfusa appareat, quae eam omni sacro characterem expoliat, omnique spirituali efficacia destituit. Exinde item in populo, imo etiam in plerisque e clero, adeo depravatus gustus divini verbi, et exsurdatum palatum: exinde tandem piorum scandalum, perversorum atque incredulorum nulla aut parva emendatio: qui quamvis interdum in templa, huiusmodi *placencia* verba audiendi causa, praesertim vero si sonoris illis ac magnifici nominibus, *civili progressu, patria, recenti nostrorum temporum scientia*, aliisque id genus allecti, profuse confluant, postquam Oratorem fragosis plausibus fuerint prosequuti oh! iste, aientes, verum ac legitimum cocionandi callet modum! e templo exeunt quales illuc intraverant, sicut Iudaei, qui *omnes quidem mirabantur, sed non omnes convertebantur.* (S. August. in Matth. XIX. 15).

7. Haec igitur Sacra Congregatio quum, supremis Romani Pontificis praeceptis obtemperans, tot tamque gravibus sacrae Praedicationis corruptelis consuetudine inductis remedium afferre omnino velit, omnes Rños Italiae Episcopos, Generales Coenobitarum Praesules, atque omnes ecclesiasticorum Coetuum Rectores compellat ut in easdem apostolica animi fortitudine insurgant, atque iisdem penitus extirpandis sedulo dent operam.

Itaque memores, se iuxta sacrosancti Conc. Trid. praescriptum (sess. V. cap. 2. de Ref.) *viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere* addictos esse, hac in re quam maximam diligentiam curamque adhi-

beant. Si quidem sacerdotes designandi ad suam ipsorum dioecesim pertineant, iis adeo augustum ministerium *nisi prius sive per examen*, sive alio quolibet opportuno modo, *de vita, de scientia*, de moribus comprobati fuerint (Conc. Ind. l. c.) nequaquam concedant. Si vero illi ad aliam dioecesim spectent, neququam Episcopi in sua concionaturos admittant, praesertim vero occurrentibus quibusdam solemnioribus anni solemnitatibus, nisi proprii Episcopi, seu Praesulis, litteras ostendat quae et sacerdotem bonis moribus praeditum, et huic officio idoneum esse testentur.

Generales etiam cuiusvis religiosi Ordinis, Societatis, Congregationis, Praesules nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, inscio loci Episcopi, permittant; eoque minus decet traditis testimonialibus litteris, illos quoque mittere ut Episcopis se sistant, nisi prius accurate inquisierint, et certissime optimam noverint sacerdotum eorundem et moralem vivendi, et consuetam concionandi rationem.

Si vero cuiuslibet Dioecesis Episcopus, postquam aliquem Sacerdotem litteris huiusmodi a suis commendatum ad Dei verbum praedicandum in propria Dioecesi exceperit, eumque deinceps in sacro ministerio peragendo ab normis monitisque hic per nos traditis aberrantem conspexerit, opportune primum eundem admoneat, ut si fieri possit, quam primum resipiscat: quod nisi sufficiat, ab officio illico removeat, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis.

Ceterum quoniam haec S. Congregatio Rmorum Episcoporum et Praesulum religiosis quibusvis Ordinibus praepositorum, diligentiae ac zelo se tuto fidere possa probe novit, idcirco per ipsos praecipue fore confidit, ut haec nova recensque Dei verbi annunciandi, seu potius adulterandi, ratio quamprimum reformatam se prodat; et sacra ipsa praedicatio, vanis verborum lenociniis amotis, Augusto ac nativo suo splendori, supernaturali simul efficacia denuo suscepta, in Dei laudem, aeternam animarum salutem ac spiritualem Eccle-

siae totiusque christiani Orbis utilitatem, tandem aliquando restituatur.

Romae, ex Scribarum Curia Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis expediendisque praepositae, die 31 Iulii, anno 1894.

I. CARD. VERGA, *Praefectus*.

ALOISIUS TROMBETTA, *Pro-Secretarius*.